

\_Lettera\_N\_1363

Al papa Pio IX

Torino, 30 settembre 1869

Beatissime Pater,

Ioannes Bosco Sacerdos, Superior generalis Piae Societatis a Sancto Francisco Salesio dictae, Beatitudinis Tuae ad pedes provolutus, humillime exponit, divina Providentia factum esse, ut in urbe vulgo Cherasco nuncupata, Dioeceseos Albensis Pedemontis, collegium convictusque adolescentulorum studio dediturum, nec non ecclesiae parochialis administratio eidem Societati demandata essent. Omnia quae hucusque facta sunt, semper de Episcopi consensu et consilio peracta sunt. At decreto laudationis et commendationis ejusdem Societatis, inter alias haec adnadmversio adnectebatur «pro fundatione novarum domorum, et pro suscipienda in posterum ab Ordinariis directione Seminariorum, recurrendum erit in singulis casibus ad Sanctam Sedem» .

Licet vero stricte loquendo haec potius temporaria administratio, quam novae domus fundatio sit appellanda, tamen ad dubia eliminanda et ad debitum Sanctae Sedi obsequium praestandum, facultates quae ad majorem Dei gloriam promovendam necessariae censentur, humili precatatione expostulantur.

Insuper hoc collegium (quod in potestatem Municipii Clarascensis nunc cecidit) et parochialis Ecclesiae cura ad fratres Congregationis Somascae spectabant ante promulgationem novissimarum Italici Gubernii legum dispersionis Religiosorum. Hoc etiam in casu, et hac potissimum causa opportunas facultates humillime petunturo Hisce praemissis, orator, latis verbis, declarat in amnibus et per omnia paratum esse stare omnibus Sanctae Sedis mandatis, et si tempus erit qua supra memoratum Institutum Somascae Congregationis, obmissam administrationem denuo suscipere valeat, libentissimo animo restituere, jura, loca, administrationes, quae quocumque titulo ei competere poterunt.

Sac. Gio. Bosco